

V K  
673



h. 100

V  
IIS

CO

DI  
NO  
M

Or



h. 109, 14.

II, 4

Vk  
673

SCHEDIASMA

De

VARISCIS ERUDITIS,  
IIS PRÆCIPUE, QUI SCRIPTIS  
INCLARUERE.

QVO

ILLUSTRISSIMOS

COMITES AC DOMINOS  
JUNIORES RUTHENOS,

hinc

PLURIMUM VENERANDOS

DNN. INSPECTORES.

et

NOBILISSIMOS AC DOCTISSIMOS VIROS QVOS-  
QVE ALIOS, QUI INTER NOS COMMORANTUR,

M. JO. FRIDERICUS Köber /

Illustris Ruthenici RECTOR,

ut,

OPTIMI ADOLESCENTIS

HEINRICI ELIAE HUNDERTMARCKII,  
LOBENSTEINENSIS,

Orationem de VARISCIA Valedictoriam

clementer ac benevolè auscultare

*Cras, H. L. Q. C. velint,*

humillimè, submissè atque officiosissimè

INVITAT.

GERÆ; Literis WERTHERIANIS.



73





Audatur non immeritò, & præter Regiones alias honorificentissime commendatur Nariscia veterum, sive, ut adpellari hodie, non ignoto tamen priscioribus vocabulo, solet, Variscia. Etenim Gens illius & Græcis & Romanis celebrata ingenii fuit perindè, ut alia quævis, sive amplitudine major, sive rerum gestarum gloriâ celebrior, sive nominis celebritate splendidior fuerit. Etsi enim hodiè Regionum copiâ & magnitudine comiter cedit plerisque aliis, ea tamen Variscia nostræ claritas est ac dignitas, ut splendore nominis sui & suorum incolarum præstantia non difficulter aut invitè cum aliis suscipiat certamen. Quorum qui vigor quondam, quæ virtus fuerit, exinde Sole meridiano, cum sudum est, clarius patet & colligitur, quod Tacitus, Scriptor ille Historiarum prudens, verus atque acutus, commemorat, Nariscos nihil Marcomannorum gloriâ degenerasse, quos nulla Germanorum Gens aut excellentiâ rerum gestarum, aut opum imperiique amplitudine superavit. Quod si igitur Marcomanni fuerunt illi, qui Helvetiis ademerunt sedes, qui Galliam propè Celticam subegerunt, qui fertilissimos Hercyniæ campos sui juris fecerunt, qui felicissimis successibus suis iustum Romanis ipsis timorem injecerunt; quid de Nariscis dicamus, quos non degenerasse ab illorum gloria Cornelius prodit? Videlicet & hos in laudem non modò rerum gestarum, sed & gloriæ admittendos esse, & hoc nomine deprædicandos ab omnibus, & vel ad sidera evehendos, certum est. Quod si instituti ratio pateretur, prolixius id demonstratum iremus, & argumentis fortè non ficulneis evictum. Verum enim verò cum in Variscia laudibus deprædicandis totus sit futurus VALEDICTURUS Noster; ideò partem duntaxat inde decerpentes, nonnihil verborum  
facturi

facturi sumus de iis Variscorum, qui singulari eruditione excelluerunt, sui que nominis gloriâ propitiâ sibi reddiderunt æternitatem. Ignoscent verò & loca præstantium Virorum natalia, & Viri ipsi celeberrimi, si non eo ordine recensentur, prout cuiusque dignitas requirit ac postulat. Nullius sane honori quicquam detractum volo, quocunque recenseantur modo. Curiam Variscorum jam olim Caput urbium in hac Regione habitam fuisse, eccui ignotum est? Huic verò clarissimæ urbi suos debent natales JOHANNES STURIO, Ecclesiæ Wittebergensis Diaconus, pietatis laude æque industria in peragendis officii partibus sua ætate conspicuus, Johanni Bismarcho in libro de vita & gestis præcipuorum Theologorum, Wittebergensium præcipue, commemoratus: JOHANNES STREITBERGERUS, qui primum Ecclesiastes Brunsvicensis, hinc Rector Scholæ Patriæ, tum Pastor ibidem, & Superintendens porrò Culmbacensis, Theologiæ demum Doctor eminuit: LAURENTIUS CODOMANUS, Theologus, Philosophus ac Poëta insignis, qui edidit Supputationem præteritorum Mundi annorum & LXX. hebdomadam Danielis, ex historiis cum Sacris tum Ethnicis derivatam. Curiam excipiat Plavia, urbs nobilissima. Quæ præter alios genuit CHRISTOPHORUM PEZELIUM, primò Cantorem in patria, deinde SS. Theol. D. & P. P. Wittebergens. Virum quidem doctissimum, ac de Scriptis quibusdam Melanchthonianis benè meritum, Crypto-Calvinianum tamen, qui Saxonicas primùm, deinde & Bremensem Ecclesiam non parum turbavit, ac meruit præterea Peucerianæ historiæ, quam scripsit, narrator mendacissimus dici; edidit idem Mellificium historicum, Commentarium in Genesin, refutationem Catechismi Jesuitici, Tractatum de sacrâ cœna & alia, calamum quoque strinxit in Æg. Hunnium, Nic. Selneccerum, Dan. Hoffmannum, Phil. Marbachium, Theologos de Ecclesia meritissimos. Genuit eadem GEORGIUM COELESTINUM, S. Theol. D. Ecclesiæ Collegiæ Colonæ ad Spream Præpositum, qui Comitiorum verè Augustorum, anno superioris seculi XXX. habitorum, historiam, & multis sumtibus, & periculosis itinere-

itineribus collectam, edidit, clarissimum inde nomen confe-  
 cutus. Genuit & PAULUM DOLSCIUM, qui Medicinam  
 superiori seculo Halæ Saxonum exercuit, Græcæ Lingvæ  
 peritissimus, qua & Confessionem Augustanam scripsit, &  
 Psalms ac Siracidem metricè concinnavit: JOHANNEM  
 item HORNICEUM, qui primùm Scholæ Rigensi præfuit  
 Rector, deinde in Gymnasio Revaliensi Poësin, Historiamq;  
 & Eloquentiam docuit Professor publicus, ubi & in commo-  
 dum studiosæ pubis Janitricem eloquentiæ typis commisit.  
 Natus ibidem est & incunabula sortitus excellentissimus  
 Theologus WOLFG. FRANZIUS, primum Wittenbergæ  
 Hist. P. P. postea Theol. D. & Kembergensis Ecclesiæ Præ-  
 positus, denique Theol. Prof. & templi arcis Wittenbergæ  
 Præpositus, cujus extant historia animalium, Dispp. in  
 Deuteron. Syntagma Controversiarum Theol. contra Cal-  
 vinianos, Pontificios, Photinianos, Dispp. in Aug. Conf.  
 Schola Sacrificiorum, Vindiciæ pro A. C. contra Schmalzium,  
 de interpretatione Scrip. S. & alia, quæ recensere nimis lon-  
 gum foret. Neque vero prætereundus hîc est in Theologia  
 pariter ac Philosophia Ebræa, Mathesi etiam eruditè exer-  
 citatus GEORGIUS SAMUEL DOERFELIUS, Ecclesiæ  
 Weidanzæ Pastor & Superintendens, cujus mortem præma-  
 turam non possunt non lugere mansuetiores Musæ, quas in-  
 timius nôrat. Pace reliquarum in Voigtlandia Urbium li-  
 ceat nunc eas commemorare, quæ sub moderamine placidis-  
 simo ILLUSTRISSIMORUM COMITUM ac DOMINO-  
 RUM RUTHONUM, satis feliciter, si incendiî feralis furo-  
 rem excipias, vigent. Nempe optima Schleiza in auras vi-  
 tales misit Ictum celeberrimum, WOLFGANGUM  
 ADAMUM LAUTERBACHIUM, in Tubingensi Acade-  
 mia, P. P. Consiliarium Wittenbergensem intimum, &  
 Consistorii Ecclesiastici Directorem Stutgardensem, va-  
 riis in Jure scriptis famigeratissimum, & CHRISTOPHO-  
 RUM LIMMERUM, Consiliarium primò, tandem & Can-  
 cellarium Rutheno-Geranum, quod grati merito recorda-  
 mur, gravissimum, & meritis verè illustrem. Inclÿta Greiza  
 dedit DANIELEM MULLERUM & GEORGIUM SEIDE-  
 LIUM,

520

LIUM, hunc Theol. L. & Ecclesie primùm Penicensis, deinde & Annæbergensis Pastorem atque Antistitem, illum verò Scholæ Nicolaitanæ apud Lipsienses Conrectorem, deinde Concionatorem ad D. Nicolai Pœnitentiarium, demum Th. D. ibidem Archidiaconum & Ministerii Senioremaximè venerabilem. Laudatissima Lobensteinium protulit JOHANNEM GEORGIUM VOLKMARUM, S.S. Theol. D. & Wittebergæ P. P. Virum magni nominis futurum, nisi vitam mors immatura, ut opinamur homines, intercepisset, quippe qui annum ætatis vigesimum nonum nondum egressus, diem obiit supremum, JOHANNEM item ALBERTUM, Cancellarium Rutheno Plaviensem longe meritissimum, & verè Ruthenicum (nam similis propemodum illi & grandi natu & senili prudentiâ fuit) Nestorem, nec non JOHANN. CASP. ZOPFFIUM & JOHANNEM PFEIFERUM, illum Antistitem apud nos vigilantissimum, & ut paucis multa complectar, vere Theologum, hunc Archidiaconum & doctrina & moribus maximè indeculpatum; In pago autem Ruppertsdorffio WOLFGANGUM KRUGERUM, Onomastici Chronologici, quod vernaculo idiomate extat, autorem, quem laudat alicubi celeberrimus Theologorum Quenstedius, in pagò verò alio, cui Rotenackero nomen est, qui seipsum commendare tanquam ingenii monstrum, sed sine vitio, potuit, NICOLAUM SCHMIDIUM sive CUNZELIUM, alias propter variam notitiam linguarum & Astronomiæ præcipuè peritiam, quas nullò didicerat magistrò, eruditum, ut vulgo dicebatur, Rusticum. Acclivis denique & excelsa Saalburgum peperit Virum notitiâ historiarum, quas in Christian-Ernestino publicè non citra laudem docuit, variaq; eruditione conspicuum LUDOVICUM LIEBHARDUM, qui tandem Ephoriæ Mœnchbergensis Antistes fuit, ubi non adeo magnò natu sua morte obiit. Sed nunc vetusta Weida nobis injicit manum, & vult commemorari, quas materno ex sinu suo emisit eruditione non proletaria, commendabiles Viros, & ideo ostentat nobis CL. FRANKIOS, DANIELEM præcipuè, cui liber singularis de indicibus Papistarum expurgatoriis famam circumdedit non vulgarem,

garem, & CHRISTOPHORUM SONTAGIUM, 'præstan-  
tissimum Philologum juxta & Theologum, Schleisingæ Hen-  
nebergensium nunc Superintendentem laudatissimum, cu-  
jusegregium opus de titulis Psalmorum exstat. Elsterbergæ  
dias in luminis auras prodiit superiori seculo PAULUS  
CHERLERUS, ut laboriosissimi Wittenii Biographia testa-  
tur, Pastor quondam Binzeimensis in districtu Roetelano  
Marchiæ, cujus libri octo de Jesu Christo in publicâ ver-  
santur luce, nec non Epitaphia seu Elegiæ funebres, in obi-  
tum XXXII. Virorum illustrium, & studiosorum juvenum  
fœminarumque scriptæ. Et quid Reichenbachium dicam,  
oppidum sui nominis, ingeniisque bonis & opulentiâ re-  
dundans? Prodiit hinc SIGFRIDUS NEUMEISTERUS,  
Poëta Laur. Philosophiæ P. P. primum extraordinarius in  
illustri Rosarum Academia, deinde Pastor Detrovienfis Me-  
gapolit. tandem in Patria Ecclesiastes, ubi & anno XXVI.  
hujus ad finem properantis Seculi mortuus beatè fuit, Poë-  
mate dehortatorio à doctrina Calvinianorum, & Dispu-  
tationibus in Ethicam Aristotelis orbi literato notus;  
& qui primo commemorari loco promeruit, FRI-  
DERICUS RAPPOLTUS, primum Scholæ Thomani, quæ  
Lipsiæ est, ConRector, deinde Nicolaitanæ Rector, simulq;  
Dialectices, postea vero Poësis P.P. demum Theol. D. ejus-  
demq; in Academia ibidem Professor magni nominis, Cano-  
nicusque Citizenfis & Alumnorum Electoralium Ephorus  
gravissimus, Vir in tantum laudandus, in quantum solida  
eruditio in literis pariter ac vera Theologia intelligi potest,  
qui ante tres & decem annos rebus hominum placidè vale-  
dixit. Progredior nunc ad minorum gentium, si loqui ita  
fas est, loca Variscorum, unde magni prodierunt Viri. Vide-  
licet Ziegenrückium genitricem habuit CASPAR DORNA-  
VILS, Philosophiæ & Medicinæ D. qui primum Scholæ Gœr-  
lizenfis in Lusatia Rector, deinde in Gymnasio Bethaniensi  
Schenaigiano Silesiorum Ethopraxias Professor, postremò  
Ducis Bregensis Consiliarius & ad Polonos Orator fuit, stru-  
xitque Amphitheatrum sapientiæ Socraticæ, Orationum  
Tomos duos, & Carmina varia, ut de aliis non dicam, quæ  
brevita-





572

brevitatis studio latere patior. Auerbachium Matrem benignam habuit cum HEINRICUM STROMERUM, Medicum superioris Seculi eximium; tum & JOHANNEM FOERSTERUM, qui primùm fuit Concionator Sabbathicus Lipsiæ, hinc Rector Schneebergensis, in quo officio Johanni-Fridericos libros in salivam publicam emisit, porro Pastor Cizensis, tum Theol. D. Pastor & Professor Wittebergensis, ac tandem P. Islebientis & Comitum Mansfeldiorum Superintendens, quem vocant, Generalis, Vir ubique præclare meritus, & ingenii monumentis decantatissimus. Neukirchii primùm hausere communem lucem PETRUS KIRCHBACHIIUS, Ecclesiastes ad Oderam, Pastor denique & Superintendens Cygneus, unde & nomen ipsius ibidem in omnium ore & veneratione est; ADAMUS item SPENGLERUS, Berolinensis Gymnasii Rector, ubi exercitationes Metaphysicas juxta & Logicas scripsit, de egregio publico non male meritus; & , qui lucem omnibus scenerari potest, exortus ut ætherius Sol, JACOBUS WELLERUS, Linguarum Orientalium primùm, deinde & Theologiæ Doctor & Professor Wittebergensis, Ecclesiæ hinc Brunsvicensis Coadjutor & Superintendens, Serenissimo demum Electori Saxonix à Concionibus primariis, confessionibus & Consiliis Sacris, Vir tanti nominis, tantæ eruditionis, tot in Ecclesiam universam & Rempub. literariam inclytus meritis, ut non duntaxat meam qualemcunq; orationem, sed & Tullii ipsius, aut, si quis hoc facundior est, eloquentiam vel consumatissimam superet & excedat. Schwerzebachium produxit JOACHIMUM WILLIUM, Diaconum apud Noribergenses Ægidianum, ac deinde ad D. Virginis, qui Symphoniam Sanctorum Apostolorum Pauli & Jacobi successu non infelici composuit, non paucis eruditorum manibus tritam. Mosbachium, vicus Neostadio ad Orilam vicinus, suavis illa WENDLERORUM & vetus nutricula, quorum nomina jam pridem per ora Virum, ut Poëta canit, volant, natale solum fuit JOSEPHO CLAUDERO, celeberrimi nominis Poëtæ Christiano, nec non Ecclesiæ Altenburgensis Archidiacono quondam merittissimo. Dies æque & charta deficerent, si vel numerare omnes,

omnes, ex omni præfertim antiquitate, vellem, qui Vari-  
 sciam, tanquam Patriam suam, nominis splendore & scripto-  
 rum celebritate illustrarunt. Plurimos sane sciens volensq;  
 prætereo, quos aut indagare illicò & expiscari propter angu-  
 stiam temporis non licuit, aut, quia adhuc viventes viden-  
 tesq; partibus suis egregie defunguntur (faxit DEUS quàm  
 felicissimè, quàm diutissimè!) silentio venerari potius, quam  
 in os laudare consultum duximus. Ideoque nemo, opinor,  
 vitio nobis vertet, aut ægre feret & molestè, si non omnium,  
 ut decet ac par est, mentio facta fuit. Pauxilla enim hæc præ-  
 ludere visum fuit Valedictoriæ Orationi, quam cras, DEO  
 clementer annuente, in laudem Variscie habiturus est opti-  
 mæ spei Adolescens HEINRICUS ELIAS Hundemattel Lo-  
 bensteinensis Variscus. Nomen hic inter nostros professus  
 est Anno M. DC. LXXXII. circa Martinalia: Ex quo tempo-  
 re nihil insuper habuit, aut omisit temere, quod ad numeros  
 boni Discipuli absolvendos pertinet, & à Legibus Ruthenèi  
 publicis requiri solet. Ideoque sacris nunquam non inter-  
 fuit pie, lectiones cum publicas tum & privatas auscultavit  
 attentè, Præceptores ac Hospites veneratus est modestè,  
 cum omnibus vixit pacificè, mores sectatus est elegantiores  
 cum laude. Atque hinc usu venit, ut facile omnium in se  
 derivaret amorem & benignitatem. In literarum studiis  
 eos, per DEI gratiam & benedictionem, consecutus est pro-  
 fectus, ut meritò Acroasibus, quæ in Academiis vigent, &  
 bona quidem cum nostra venia, adhibeatur. Cujus gratia  
 prospera Eidem quævis, DEI cum maximè auxilium, Spiri-  
 tus S. adstantiam & valetudinem edecumatam, pro nostro  
 in eum amore sincero, adprecamur. Cæterum à VOBIS, IL-  
 LUSTRISSIMI COMITES ac DOMINI RUTHENI, à VOBIS  
 item, PLURIMUM VENERANDI INSPECTORES, à VOBIS  
 etiam GENTE ac DIGNITATE VARIA CONSPICUI MA-  
 XIME VIRI, humillimè juxta & officiosissimè peto contem-  
 doque, ut usitatâ clementia ac benevolentia Vestra comple-  
 cti dicturum &, quam post plures alias ultimam deniq;  
 apud nos Orationem recitabit, haud gravatim auscultare  
 velitis. Λόγον προεμπιπλὸν habebit OSWALDUS Zeupold/  
 SCHLEIZENSIS. P, P. Geræ ipsis Eidib. Octobr. A. O. R.  
 ∞ clō LXXXIX.

ULB Halle  
004 969 944

3



f





579



fuerit. H  
comiter ce  
ritas est a  
incolarum  
scipiat ce  
tus fuerit  
patet & co  
prudens,  
Marcoma  
norum G  
imperiq  
comanni  
Galliam  
cynia car  
fuis iustu  
Nariscis  
Corneliu  
rerum ge  
mine dep  
dos, certu  
id demor  
evictum  
prædicar  
ideò part

ritò, & præ-  
honorificen-  
tur Nariscia  
adpellari ho-  
men priscio-  
et, Variscia.  
& Græcis &  
ingeniis fuit  
evis, sive am-  
ve rerum ge-  
rior, sive no-  
splendidior  
magnitudine  
æ nostræ cla-  
i & suorum  
cum aliis su-  
am, quæ vir-  
est, clarius  
Historiarum  
Nariscos nihil  
ulla Germa-  
, aut opum  
igitur Mar-  
nt sedes, qui  
lissimos Her-  
is successibus  
nt; quid de  
lorum gloria  
n non modò  
te, & hoc no-  
dera evehen-  
ur, prolixius  
non ficulneis  
laudibus de-  
RUS Noster;  
hil verborum  
facturi

